



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De
Westphalia & Saxonia Inferiori**

Hamelmann, Hermann

Lemgoviae, 1711

VD18 11397225

7. Ejusdem Narratio de Vita, studiis, itineribus, scriptis & laboribus
Hermanni Buschii, Nobilis Westfali.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

HERMANNI HAMELMANNI
DE
VITA, STUDIIS,
ITINERIBUS, SCRIPTIS
& LABORIBUS
HERMANNI BUSCHII,
NOBILIS WESTPHALI,
V. CL.
NARRATIO.

M m 3

VI-

VITA
HERMANNI BUSCHII,
V. CL.

SUMMARIA.

1. *Diversas nobilium de Busch familias existere significatur.*
2. *Pater HERMANNI BUSCHII fuit Burchardus de Busch; Mater Barbara de Schedelich.*
3. *Hermannii Buschii fratres recensentur.*
4. *Natus fuit Hermannus Buschius anno 1468. Nobili familia in arce Monasteriensi Sassenborg.*
5. *Ubi & a quibus preceptoribus noster fuerit informatus?*
6. *Quales Daventria sub Hegio habuerit commilitones?*
7. *Celebrantur humanitatis studiorum primi reformatores, scilicet*
(a) *Alexander Hegius;*
8. (b) *Antonius Liber, Susatensis;*
9. (c) *Rodolphus Agricola;*
10. (d) *Rodolphus Langius; &*
11. (e) *Ludovicus Dringeburgius, cujus quidam discipuli clarissimi enarrantur.*
12. *Buschius noster mittitur Heidelbergam ad Rodolphum Agricolam.*
13. *Dein profectus est Tubingam, ubi scripta Ciceronis diligenter lustravit & legendo excussit.*
14. *Postmodum contulit se in Italiam, ubi cum summis Viris familiariter versatus fuit.*
15. *Postea rediens Heidelbergam eodem gradum Magisterii generose Hermannus de Busch consequutus est.*
16. *Roma scripsit duos libros Epigrammatum.*
17. *Vixit aliquandiu in aula Episcopi Monasteriensis.*
18. *Deinde iter suscepit in Galliam, Saxoniam, Marchiam & Pomeraniam.*
19. *Ductu Langii in omni genere Carminum veterumque Poetarum imitatione ac imitatione sese exercuit.*
20. *Veterumque Latinorum scripta historica percurrit.*
21. *Græcæ linguæ probe gnarus, Græcorum Autorum scripta studiose evoluit.*
22. *Philosophia, Eloquentia humanitatisque studia de industria traxit, magnamque dicendi vim assuetus fuit.*
23. *Singularia memoria ingeniiq; dona in Buschio dilaudantur.*
24. *Juri, Medicina & Theologia operam navavit.*
25. *Testimonia Clariss. Virorum de Buschio adferuntur, & quidem*
(a) *Joachimi Camerarii,*

26. (b) Rodolphi Langii,
 27. (c) Alexandri Hegii,
 28. (d) Johannis Murellii,
 29. (e) Eobani Hest,
 30. (f) Euricii Cordi,
 31. (g) Erasmi Roterodami,
 32. (h) Theodori Ulsenii,
 33. (i) Hermanni, Comitis à Newer-
 nar/
 34. (k) Johannis Asticampiani,
 35. (l) Johannis Gymnici,
 36. (m) Johannis Gastii, &
 37. (n) Philippi Melancthonis.
 38. Herm. Buschius, publice priva-
 timque docuit elegantiores litteras
 (1) Colonia; sed ob invidiam &
 furorem barbarici amantium Pro-
 fessorum hinc discessit;
 39. (2) Hammona, ubi Horatium
 praelegit;
 40. (3) Monasterii, ubi publice Vir-
 giliū exposuit;
 41. (4) Osuabriga, legendo Persum;
 42. (5) Brema & Hamburgi, propo-
 nendo Orationes ex Livio;
 43. (6) Lubeca, aliquid ex Prudentio;
 & (7) Wismaria Eclogam Virgilii
 explicans;
 44. (8) Rostochii, ubi privatim ali-
 quid ex Cicerone, Virgilio & Ovi-
 dio cum studioforum applausu enu-
 cleavit docte; sed hinc ob invidiam
 Tilemanni Heverlingii (contra
 quem edidit Oestrū Poeticum)
 coactus fuit digredi.
 45. (8) Gryphiswaldie, ubi fere per
 annum Priscianum, Lucanum,
 Julium Caesarem, &c. publice re-
 solvit, interque Auditores suos ha-
 buit Joh. Bugenhagium & Sva-
 venios fratres.
 46. (9) Francofurti ad Oderam, cla-
 rans Claudianum & Quintilianū;
 47. (10) Erphurdia praelectiones ex
 Virgilio, Statio, Lucano &c. in-
 stituens;
 48. (11) Lipsia, ubi permultis Audi-
 toribus suis in publicis praelectioni-
 bus doctis modis exposuit Cicero-
 nem, Tibullum, Propertium, &c.
 49. (12) Wittenberga, ubi frequens
 suum auditorium oblectavit expo-
 sitione Virgilii, Lucani, Propertii,
 Tibulli, Ausonii & Seneca; sed ob
 ortam inter se & Shrulium dissen-
 sionem, regressus est Lipsiam, sed &
 inde fuit ejectus;
 50. Hinc contulit se Magdeburgum,
 & mox (13) Brunswigam, ubi
 exposuit Prudentium.
 51. (14) Hildesia per mensem resolvit
 aliquid ex Hieronymo.
 52. (15) Minda somnium Scipionis
 ex Macrobio & Epistolas Ovidii
 Auditoribus interpretatus est.
 53. Postmodum pervenit Osuabrigam,
 ubi consensu Rectoris Alexandri,
 Meppersis, habuit in Schola Ora-
 tionem contra barbariem & bar-
 baros.
 54. Mox recurrit Monasterium.
 55. Inde petiit Darentiam, ubi que-
 dam ex Aulo Gellio & Martiale
 Auditoribus proposuit.

56. Dein adit *Amstelrodamum*, ubi *Porphyrium de pradicabilibus* & aliquid ex *Plauto* explicuit.
57. Mox se recepit *Alcmariam*, *Trajectum* & *Lovanium*, ubi *Aristotelem de Pradicamentis*, *Ciceronis Rhetoricam* & *Epistolas ad Atticum*, ut & aliquid ex *Hesiodo* & *Horatio* cum admiratione studiosorum perspicuo sensu reddidit.
58. Postmodum migravit in *Angliã*, & illic variis in locis, *Academiis* & *Scholis* innotuit *Viris Clarissimis* ibidemque publice docuit.
59. Tandem auspiciis *Hermanni*, *Comitis à Nervo* enar / repetit *Coloniã*, ibique *Catonis Disticha*, *Gellium*, *Pliniique Epistolas*, *Statium* & *Claudianum* prælegit: sed mox *Orthwinum Gratium* & *Fac. Hochstratum* expertus est adversarios: hinc in horum barbariei patronorum opprobrium *Buschius*, *Joh. Reuchlinus*, *Ulricus ab Hütten* / eque, *Comes Neuwenarius*, &c. collegerunt *Epistolas obscuro virorum* cum earundem auctoribus.
60. *Colonia noster* edidit *commentaria in Claudianum* & *decimationes Plautinas*.
61. *Buschius* relegatus ex *Academia Coloniensi* fit *Rektor Wesalia Clivorum*, ubi conscripsit *Vallum humanitatis*.
62. *Insulsi quidam libelli Scholastici à doctis Viris* sunt damnati passim.
63. *Buschius* animus adjicit ad *Theologiam* & venit *Wittebergam*, ibidemque veterum *Latinorum carmina* *Auditores* resolvere docuit: *S. Biblia* & *Ecclesie Patres* diligenter evoluit.
64. *Senex Buschius* constituitur *Professor Historiarum Marburgi*: cui successit in professione illa *Johannes Glandorpius*.
65. *Buschius* audiens coram *Lutherum*, cum *Cinglio* & *Melancholone* cum *Oecolampadio de S. Carolo* disputantem ascendit *partem Lutheri*.
66. *Marburgi matrimonium* inter noster.
67. Tandem *Buschius* *Monasterium* evocatur, ut *Secta Anabaptistica* occurreret atque periclitanti *Patria* succurreret.
68. *Amica compositio* cum *Sectariis*, cum irrita fieret, colloquium in curia inter *Buschium* ejusque collegas & *Bernh. Rothmannum* aliosque *Anabaptistas* publice instituitur *Germanice*.
69. *Quibus verbis* orsus fuerit colloquium *Buschius*, sistitur.
70. *Rothmanni* exhibitur *impletas*.
71. *Solida Buschii* *responsio* ad *effugium Rothmanni* perhibetur.
72. *Buschius* languore morboque correptus contendit *Dulmonem*, ibique in *edibus consobrini sui Godfridi de Schedelich* / *Satrape Dulmonensis*, moritur anno 1534. & sequitur.

sequente, anno etiam obiit ejus uxor
Adelheida.

73. *Varia à Buschio edita scripta recensentur.*

74. *Olphenii adfertur carmen de tribus Hermannis Westphalis.*

75. *Bibliotheca Buschii fuit ab illius fratre Monasteriensi Capitulo donata.*

76. *Conclusio hujus narrationis ad Dn. de Münchhausen subjungitur, qua Generoso nostro Dn. de Busch / aliisque clarissimis Westphalia viris acceptum refert, quod puritas Latina lingua post prostigatam barbariem ubique florere coeperit.*

Etsi diversæ olim fuerunt *Buschiorum* in Westphalia & vicinis r. locis familia & stemmata atque separata eorum quoque fuerint insignia, tamen jam de HERMANNI BUSCHII, poëte & oratoris celeberrimi, qui ex veteri *Buschiorum* (quorum *insigne* erat *Lilium album*) familia nobili natus est, vita agemus, primum de cursu studiorum ejus dicturi.

Pater hujus nostri *Hermanni Buschii* (qui inter majores suos *septem* 2. habuit equites *auratos*, ex quibus *Herbordus* & *Clamor* Buschii præcipue celebrantur, & de posteriori sic canit *Alexander Hegius* :

Buschia clara domus fuit olim Clamoris armis,

Nunc Hermanne tua est inclyta facta cheli, &c.

Fuit *Borchardus Busche*, qui in comitatu *Schowenbergensi* & finitimis locis habuit quidem bona hæreditaria, sed circa annum Domini 1460. tenuit oppignoratam arcem & præfecturam ditionis *Monasteriensis Sassenborg* (quam antea *Dux* & postea *Cæsar Lotharius* ædificaverat & contulerat suo affini *Comiti de Lippia*, sed cum exueretur *Ducibus Angariæ & Westphaliæ Henricus Leo* à *Coloniensi Præsule*, hanc ad se vi pertraxit *Monasteriensis præses*) & habuit conjugem *Barbaram de Schedelich*. Ex his conjugibus veteris Nobilitatis personis nati sunt hi filii in arce prædicta, *Henricus* (qui *Rhodum* profectus 3. & in terra sancta versatus tandem ibi moritur) *Hermannus* hic noster, *Sergius*, & *Foannes* (qui duo militiam secuti etiam ut milites occubuere) atque *Borchardus* *Jureconsultus*, qui erat *Minda Cathedralis ecclesiæ Decanus*, ad quem noster aliquando *Buschius* sic scripsit in epigrammatis editis :

Quod vigili studeas obscura volumina cura

Frater, & à magnis edita jura viris

Laudo, &c.

Nn

Et

Et fuit *Borchardus frater Hermanni* adeo literarum & linguarum studiosus, ut in Græca lingua domi privatim aluerit præceptorem anno Domini 1525. *Henricum Sibæum Olphenium*. Burchardus moritur anno Domini 1542. Sed revertimur ad nostrum *Hermannum Buschium*, qui circa annum Domini 1468. nascitur, & mox puer traditus in oppido Warendorpio est disciplinae, deinde commisit eum suo amico *Rodolpho Langio*, tunc claro poëta, Philosopho & Canonico majoris Ecclesie Monasteriensis, Pater, qui eum in scholam *Alexandri Hegii* ablegavit & singulariter Hegio commendavit. Habuit tunc in *Hegii* Monasterii schola Daventriæ condiscipulos *Erasmum Roterodamum*, *Joannem Marmelium*, *Joannem Casarium*, Juliacensem professorem Coloniae, *Ludolphum Heringum*, in urbe Hammone Ludimagistrum, *Hermannum Torrentium*, Rectorem Swollis, *Jacobum Montanum*, Spirenses, profitentem bonas literas Hervordia, *Joannem & Servatium Adicollis* fratres, & *Bartholomæum Coloniensem*, postea cum Hegio & post eum profitentes utramque linguam Daventriæ, *Timannum Camenerum* scholæ Monasteriensis clariss. gubernatorem, *Josephum Horlenium*, Rectorem Scholæ Hervordiensis, præceptorem Petri Mosellani, Doctorem Theologum *Gerhardum Heckerum*, *Petrum Nehemium*, Drolshagium, Tremonia Rectorem, *Petrum Gymnichium*, Aquensem, Canonicum collegii Monasteriensis ad S. Martinum, *Joannem Alium seniore*, trium Monasteriensium Episcoporum Cancellarium, item ex suis popularibus, *Ottobonum Gratium*, *Bernhardum Mommium*, Decanum ad S. Ludgerum, *Ludolphum Bavincum*, *Joannem Oisthusium*, *Bernhardum Averduncum*, Jurconsultum, *Joannem Modersonium*, Canonicum Ludgerianum, *Henricum Morlagium*, Canonicum Martinianum, *Joannem Iserlonium*, Vicarium, *Joannem Dobbium*, Scholasticum majoris ecclesie, *Degeerum Witten* Pastorem Jacobi, *Bernhardum Tegeuderum*, Scholasticum Mauricii, *Joannem Gravium*, *Vegium Critium*, *Bernhardum Gueringium*, Notarium, *Joannem Hagemannum*, Bibliothecarium Romæ, *Joannem Rotgerum*, Vicarium, *Joannem Volsium*, Patrem in conventu virginum Coloniae, & *Joannem Gymnicum*, typographum Coloniensem, &c. Qui omnes in Schola famigeratissima Alexandri Hegii instructi sunt & in viros doctrinâ celebres evaserunt, & plerique eorum aut scriptis claruerunt, aut à Marmelio, Buschio, Langio, aut Camenero aliisque celebrati & commendati sunt.

Postea in Hegii schola instituti sunt *Antonius Tunicus*, *Otto Bax*

mannus, Joannes Alexander Meppensis, Conradus Goclenius, Hermannus Tulichius, Alardus Amstelrodamus, Nicolaus Lesdorpianus, Rector Groningensis, Gerhardus Listerius, Rhenensis, Joannes Peringius, Buricensis & alii clarissimi & ex scriptis per Germaniam noti olim viri.

HEGIUS enim de consilio Rodolphi Langii, primi Germaniæ poëtae 7. qui elegantes versus scripsit etiam nondum nato Conrado Celte, unde apparet eos graviter errare, qui primum Germaniæ poëtam constituunt (Celten) & Rodolphi Agricola, tunc reformare studia humanitatis Daventriæ cœpit, & per multos annos in maxima discipulorum frequentia, magna cum laude ibi scholam rexit. Et eodem tempore in urbibus 8. Hollandiæ Campensi, Alcmariæ, & Amstelrodamo, in scholis, literarum studia quoque tentavit reformare, & ad ipsos fontes Latinæ linguæ suos auditores deducere vir doctus ANTONIUS LIBER, Susatensis, & hic non minus quàm Hegius erat à Rodolpho Agricola ad hoc instigatus & animatus.

Nam RODOLPHUS AGRICOLA primus in Germania emen- 9. dare genus sermonis aggressus est & accendit Latinæ ac Græcæ linguæ studia ac exercitia, sicut tunc temporis cœpit quoque cum Rodolpho 10. Agricola ex Italia reducere veterem illam eleganter scribendi versus normam RODOLPHUS LANGIUS, vir nobilis & Canonicus cathedralis Monasteriensis: atque uterque inflammarunt Hegium & Liberum Susatensem, ut illi animosè pergerent; quemadmodum hoc quoque 11. ductu Rodolphi Agricolæ fecit in superiori Germania LUDOVICUS DRINGEBERGIUS, Westphalus, præceptor Jacobi Wimphelingii, Conradi Celtis, Joannis Capionis Reuchlini, Beati Rhenani, Joannis Sapidii, Stabii, Dalburgii, Bebellii, Bilibaldi Pircheimeri & aliorum.

BUSCHIUS noster in schola Hegii multum profecit brevi tempore, 12. quem Langius & Hegius commendatitiis scriptis miserunt postea ad Rodolphum Agricola, Phrisum, (qui aliquando de eo adhuc versante in schola Hegii dixerat, tu habes poëticum caput, & celebris fies poëta, sicut etiam de Erasmo vaticinium produxerat, tu eris magnus, & de Murrnelio, magna in te ingenti vis est) quem audivit, & habuit tunc Heidelbergæ omnes illos, quos recitavimus Ludovici Dringenbergii discipulos, condiscipulos, ubi etiam ei Pallas notus erat.

Deinde proficiscens Tubingam, ibidem in Academia contraxit fami- 13. liaritatem cum Georgio Simlero, Jacobo Henrichmanno & Joanne Alsternsteig/grammaticis. Suasum vero Rodolphi Agricolæ cœpit legere & relegere scripta Ciceronis.

14. Et cum jam animam egisset Agricola 1486. de consilio sui præceptoris & patroni *Rodolphi Langii* profectus est in *Italiam*, & ibi per aliquos annos vixit & familiaritatem contraxit cum summis ibi viris: *Joanne Francisco Pico Mirandulano*, *Concordiæ Comite*, *Platina*, *Babista Mantuano*, *Zenobio Acciaolo*, *Marco Antonio Sabellico*, *Aldo Manutio*, *Philippo Beroaldo*, *Hermolao Barbaro*, *Angelo Politiano*, *Hieronymo Donato*, *Marsilio Ficino*, *Leonardo Aretino* & *Joanne Baptista Egnatio*, *Petro Crinito*, & cum multis aliis *Italiæ* claris viris, qui ejus ingenium & doctrinam & dicendi promptitudinem admirati sunt. Ex *Italia* rediit in *Germaniam*.
15. & sumsit gradum *Magisterii Heidelbergæ*, & veniens *Coloniæ* copulavit cum barbaris Theologis *Jacobo Hoichstrato* & *Arnoldo de Tungris* & ceteris, sed cum illi prævalerent, discedit *Coloniã*, & per totam *Germaniam* instituit profectioem.
16. Antequam ex *Italia* rediret, dum adhuc *Romæ* ageret, scripsit duos libros *Epigrammatum* vel *Carminum ad Alexandrum Hegium* præceptorum suum.
17. Jam vero reversus in patriam, operã *Rodolphi Langii* & *Joannis Auli senioris*, *Cancellarii*, datus est ei locus in aula *Episcopi Monasteriensis*, *Henrici*, *Comitis à Schwarzburg* in cujus honorem scripsit tunc *Epitaphium* fratri *Episcopi Gunthero*, *Comiti in Schwarzburg* qui in oppositione arcis & propugnaculi *Delmenhorstani* ictus occubuerat.
18. Sed *Buschius* non diu hæsit in aula, verum *Monasterio* profectus est in *Galliam*, ubi contraxit familiaritatem cum *Bovillo*, *Fortunato*, *Jacobo Fabro Stapulensi*, *Fausto Andrelino* poëta, *Guilielmo Budæo*, aliis. Inde reversus in *Germaniam* cum istis quos recensui discipulis *Ludovici Dringenbergii* & *Rodolphi Agricolæ*, diversis in locis superioris *Germaniæ* amicitiam inivit & studia purioris linguæ promovit, imprimis colebat & venerabatur *Rodolphum Langium*, qui ei omnis generis litterarum exemplaria suppeditavit & instruxit multis modis. Deinde per superiorem & inferiorem *Saxoniã*, *Misniam*, *Marchiam* & *Pomeraniã*, profectioem instituit.
19. Sed ante profectioem legerat in ædibus *Langii* omnia *Grammaticorum* commentaria, & *Langii* ductu omne genus carminum didicit, id est & comœdias atque tragœdias tum *Latinas* tum *Græcas*, & in eis metrum & pedes consideravit: & deinde quicquid *Plautus*, *Terentius*, *Ennius*, *Seneca*, *Statius*, *Vergilius*, *Horatius*, *Lucanus*, *Persius*, *Juvenalis*, *Martialis*, *Ovidius*, *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, *Ausonius*, *Prudentius*, *Claudianus*

nus, Severinus Boëtius, Prosper, Sedulius, Paulinus & alii veteres poëtae scripserunt & habuerunt, legit & examinavit, & multa ex illis proferre potuit, imò quo folio hæc & illa haberentur & ad unguem tenebat.

In historiis versatissimus erat, nam in Bibliotheca Langii, qui ex 20. Italia tunc selectissimos quosque libros habebat translatos, evolvit *Cæsaris, Salustii, Livii, Justinii, Orosii, Taciti, Valeriique Maximi* historica scripta: *Græca Lingua* maximam cognitionem habuit, ideo apud Lan- 21. gium percurrit *Homeri, Hesiodi, Thucydidis, Herodoti, Herodiani, Euripidis, Aristotelis, Platonis* & aliorum philosophorum opera: *Ciceronis,* 22. *Plinii, Auli Gellii, Quintiliani* & aliorum scripta purissima, faciebat sibi familiarissima. Quicquid habebant veteres & recentes Grammatici, *Priscianus, Varro, Diomedes, Caper, Phocas, Tortellius, Servius, Nonius Marcellus, Festus Pompejus, Donatus, Macrobius, Pomponius Latus, Nicolaus Perottus, Petrus Marsus, Ambrosius Calepinus, Antonius Nebrissenfis, Sulpitius Verulanus, Antonius Mancinellus, Aldus Manutius, Joannes Despauterius* & similes, hoc totum quasi devoraverat Buschius noster, & erat in omni scientiarum genere versatissimus. Ideo quocumque se recipiebat, est ita ut lumen & reiliterariæ fulcrum susceptus, cum admiratione ab omnibus auditus, & amanter à studiosis ubique locorum exceptus.

Magna enim fuit in eo vis dicendi, magnæ Latinæ linguæ cognitio, elegantia pronuntiandi & eximia promptitudo, ut animi cogitata eleganter & sonore proferret. Tanta erant memoriæ dona in eo, ut ex 23. poëtarum, philosophorum, historicorum, oratorum & grammaticorum scriptis integros libros, multas paginas, & folia recitare potuerit. Ea fuit in eo felicitas ingenii, ut omnia intelligeret & perciperet, & de omnibus disputaret & conferret. A professionibus tribus non erat 24. quoque alienus: attingere interdum solebat scripta Jurisperitorum, & Medicorum: in Theologia post *Biblia* legit *Hieronimi, Augustini, Ambrosii, Hilarii* & similibus scripta diligenter.

Restat autem nunc, ut excellentium Germaniæ virorum, qui ante annos 60. floruerunt, testimonia de Buschio perspicua, ex quibus apertum fiet, quo in precio habitus sit Buschius noster, proferamus.

JOACHIMUS CAMERARIUS scripsit publice, suum præcepto- 25. rem *M. Georgium Heltum* (qui erat quoque magister principis Anhaltini Georgii) recitare solitum fuisse de HERMANNO BUSCHIO historiam, quem Heltus audierat anno Domini 1507. Lipsiæ epistolas Cice-

ronis, commentaria Cæsaris, Vergilii & Ovidii poemata tantâ dexterritate enarrantem, ut omnes auditores in tantâ tamen barbarie cognoscerent & admirarentur Hermannum Buschium tam promptam latinè scribendi & dicendi elegantiam, de quacunque re & in quovis negotio & coram quovis verba faciendi habuisse, ut nullus tunc alibi videretur esse, qui ei conferri posset, & dum quæreret, quomodo eam sibi comparasset? respondit, *legendis & relegendis Ciceronis*, de consilio Rodolphi Agricola, *epistolis & scriptis* sibi eam paratam esse. Deinde scribens, ex tempore carmen elegantissimum & eruditæ vetustati mirandum, ut si vel Virgilius vel Ovidius rediissent, admirati eam in Buschio, dexterritatem fuissent, ideo quoque à Georgio Spalatino tunc Lipsiæ ejus auditore interrogatus, quomodo illam extemporalem in scribendis versibus, ad veterum imitationem accedentem, quam proximè felicitatem comparasset, hoc responsi dederat, se quidem Langii, Hegii & Rodolphi Agricola monitis & exemplis præmissis incepisse, sed postea lectione, observatione & imitatione veterum poetarum ita profecisse.

2c. RODOLPHUS LANGIUS (qui ex Josepho & Ægesippo *obsidionem & expugnationem Hierosolymitanam* carmine Heroico, sicut etiam *urbis Novesii* cinctæ à Carolo Burgundico *obsidionem* conscripsit) circa annum Domini 1496. in epigrammata Hermanni Buschii, sic præfatus est. *Rodolphus Langius in Hermanni Buschii, equestris ordinis, docti præclarique adolescentis, suavissimi conterranei sui carmina, hoc dedit epigramma, &c.*

In illo epigrammate inter alia & hæc exstant carmina:
 Hinc tua dulcifluo manans elegia lepore,
 A Sulmonensi nec procul ipsa Chely est.
 Maeste novâ juvenis venâ, senioque verendus,
 Quanta canes Phœbi tangere doctus ebur.

ALEXANDER HEGIUS ad Rodolphum Langium & Hermannum Buschium equestris ordinis viros, epigramma anno 1494. scripsit, ubi inter alia sic legitur:

Nil est quod fieri nequeat, jam ferre poëtas
 Barbaria in media Westphalis ora potest.
 Langius hanc decorat majorum sanguine clarus,
 Cum caneret laudes maxime Paule tuas.
 Buschius hanc modulis & stemmate clarus honestat;
 Cum te virgo parens numine foëta canit.
 Vatum terra altrix tantorum Westphala gaude
 Lumine, te dextro docta Thalia videt, &c.

Et sanè Langio & Hegio multum detulit, & quicquid eruditionis & boni habebat Buschius, hoc præcipuè istis duobus acceptum tulit, ideo in Eucharistico carmine, quo gratias agit Langio, sic scribit in titulo :

Ad Rodolphum Langium, Canonicum Monasteriensem, Theologum, Philosophum, Oratorem & Poëtam undecunq̄ue ornatissimum, &c. ubi inter alia sic canit :

Si cui nostra pias debet lyra carmine grates,
Si teneor studii cui dare dona mei,
Tu facis ignavos abeat ne segnis in annos
Vita, &c.

Item mox :

Te duce Musa favet, datur & mihi copia multi
Codicis, &c.

Idem libro epigrammatum scripsit adhuc adolescens ex urbe *Roma* longam elegiam, in præconium doctissimi Rodolphi Langii, Canonici Monasteriensis, de suo somnio, quòd putarit se versatum esse in Bibliotheca Langii & ibi Latinos Græcosque oratores, philosophos & poëtas quasi viderit & perlustraverit; & in libro 2. Epigrammatum aliquoties ejus Bibliothecam, lectionem multijugam, eruditionem præcipuam, atque in versibus faciendis singularem venam & gratiam commendat & describit.

Alexandro Hegio, inscripsit sua epigrammata juvenis admodum, & in dedicatoria epistola sic ait : *Tuo nomini dedicavi hanc editionem, arbitratus etiam si eâ suavitate, eo ornatu, eâ denique ubertate, ut poëmata debent, carmina nostra non fluere, tu ea facillimè pro tua in me benevolentia, qua mihi à teneris annis, cum ludum tuum ingrederer, tuoque auspicio prima artis grammaticæ rudimenta imbiberem, perspectissima fuit, ab omni livoris morsu atque invidia vindicares.*

JOANNES MURMELLIUS in libris *Moralium Elegiarum* libro 3. 28. cap. vel elegia 1. sic canit de Buschio nostro :

Buschius Aonio faciatur pectore fonte
Versibus est patriæ gloria magna suæ.

Et quantum idem Joannes Murmellius detulerit nostro Buschio, patet ex ejusdem commentariis quæ in *Perfium* scripsit, & libro secundo didascaliorum citat ipse Buschii epigramma, & vocat Buschium *totius Germaniæ decus.*

29. EOBANUS HESSUS, Franckebergius, anno Domini 1506. sic juvenis de Buschio cecinit in epigramma edito :
 Gloria Germanus inter præclara poëtas,
 Et merito patriæ fama decusque tuæ.
30. EURICIUS CORDUS (cujus multa exstant epigrammata ad Buschium) Medicus & poëta libro 9. Epigrammatum sic scribit de Hermanno Buschio :
 Maximus es, certum est, quem fert Germania, vates,
 Quem colit Aonius concelebratque chorus.
31. ERASMUS ROTERODAMUS, (cujus multa exstant ad Buschium epistolæ) in Ciceroniano sic de Buschio scribit : *Dedit & Westphalia Hermannum Buschium in carmine pangendo felicem, cui in oratione soluta magna vis ingenii, lectio varia, judicium acre, nervorum satis, sed compositio Quintiliano propior quam Ciceroni.*
 Exstant in epistolis Joannis Reuchlini & Joannis Trithemii, Abbatis multa epistolæ ad Buschium datæ, ex quibus testatum fit, quod eum ut doctissimum & absolutæ lectionis ac eruditionis virum celebraverint & coluerint.
32. THEODORUS ULSENIUS, Doctor medicus, quem & Joannes Trithemius & Bartholomæus Coloniensis, *maxime eruditionis virum, multa scientia & rara peritia hominem appellant*, sic in quodam epigrammate suo de Buschio ante annos 79. cecinit :
 Buschius interpres vatum, vatesque disertus,
 Buschius est priscis nobilis ex atavis.
 Buschius antiquis non cedit jure poëtis,
 Buschius agnovit carminis omne genus.
Item post pauca:
 Buschius est phoenix unica Teutonibus.
33. HERMANNUS, COMES à Newenar & præpositus Summi templi Coloniensis, singularis historicus, ante annos 70. in publica quadam epistola Buschium *doctissimum & dexterrimi ingenii virum* appellat.
34. JOANNES ÆSTICAMPIANUS, poëta celebris suo tempore, in carminibus anno Domioi 1502. editis sic de Buschio scribit :
 Inter Germanos foelix Germane poëtas :
 Concinnas nitidis carmina culta modis.
35. JOANNES GYMNICUS, typographus Coloniae doctissimus, in decimationum Plautinarum Pemptades Hermanni Buschii præfatus appel-

præfatus, appellat Buschium undecunque doctissimum. Exstant Joannis Peringii, Josephi Horlenii, Antonii Tunicii, Petri Nebemii, Timanni Cameneri, Petri Aquensis & multorum de BUSCHII laudibus epigrammata.

JOANNES GASTIUS, vertens commentaria Germanicè scripta 36. in Ecclesiastem Salomonis per Joannem Brentium, in Latinam linguam, sic in dedicatoria epistola ad Philippum, Landgravium Hassiæ, anno Domini 1527. scribit de Buschio: *Habet ecce Cels. T. Hermannum Buschium, qui vir, obravam atque omnijugam suam eruditionem & pietatem, tunc etiam ætatis venerabile donum, non tam terre tue quàm etiam totius Germaniæ singulare aliquod decus, imò alter quispiam avi nostri Aristarchus jure optimo haberi potest, &c.*

PHILIPPUS MELANCHTHON in scripto contra Colonienses 37. Theologos gloriatur, quod inter alios professores Coloniensis Academiae, Buschium familiariter noverit: & in oratione quam scripsit de vita Doctoris Joannis Bugenhagii Pomerani, quam recitavit Petrus Vincentinus Vratislaviensis, sic scribit: *Cum Grammaticam & Musicam didicisset Bugenhagius, in Academiam Gryphwaldensem missus est, ibi & tyrocinium lingue Latine melius habuit, &c.* Et mox: *Erat natura non solum capax doctrina sed etiam avida, & accendebant aviditatem tempora, quia Hegii Daventriensis & Rodolphi Agricolaë & Hermannii Buschii scriptis taxata erant solæca priorum temporum, & revocabatur juvenis ad diligentiam rectius loquendi, &c.*

Hactenus audivimus elogia à viris doctis de BUSCHIO nostro pronuntiata. Jam venimus ad ejus peregrinationes. 38.

Ex Italia reversus auspicio Hermannii, Comititis de nova Aquila, tunc scholastici & postea præpositi Metropolitanæ, Herois doctissimi, Coloniae cœpit puriores literas proponere: sed ut Bartholomæus Coloniensis & Joannes Aesticampianus poeta, ob taxatas barbarorum Theologorum sordes verborum in pronuntiatione & prælectionibus, sunt operâ Jacobi Hochstrati, Arnolphi Tungerensis & Orthwini Gratii ex universitate ejecti, postquam Donatum Buschii commentariis illustratum, ubi in præfatione reprehenderat barbariem Theologorum Coloniensium, profitendo explicuerant: cessit quidem ultrò furori sordidorum Magistrorum nostrorum Buschius, interim mox post discessum Buschii veniunt Coloniae Georgius Sibutus, professor Rhetorices, Joannes Casarius, Philosophiæ, & Jacobus Grefelius, Dialectices assertores puriores,

- res, & nova de extirpanda barbarie auspicia in Academia jecerunt quamvis adhuc parum proficerent.
39. Sic Colonia discedens venit *Hammonem* (quæ est urbs Westphaliæ celebris in amplissimo Comitatu de Marca) ubi in frequenti schola *Ludolphi Heringii*, viri doctiff. plurimum à Murmellio commendati & sui quondam condiscipuli, legit unam vel alteram epistolam *Horatii* non sine admiratione omnium eum audientium.
40. Mox in patria suæ urbem primariam & metropolin Westphaliæ veniens, gratus erat hospes Langio, Murmellio, Camenero, Penn Aquensi, Peringio, Horlenio, Bavineko, Tunicio, Tegedero, Mohigio, Moderfonio, Mommio Iserlonio, Dobbio, Gravio & quotquot tunc erant docti magnâ copiâ, reparationem linguæ Latinæ expectantes ibi & simul meditantes: ubi loco Murmellii publicè explicat semet atque iterum *Vergilianâ* aliquot *poëmata*, & non puduit omnes viros illos clarissimos prælegentem, in multitudine scholasticorum magnâ Buschium audire.
41. Inde descendit *Osnabrugam*, ubi inter Cathedralis Canonicos habuit cognatos, cum quibus vixit familiariter & in schola *M. Joannis Fustii*, audiente eum *Joanne Gruthero*, tunc Conrectore & aliis, legit *Satyrâ* unam *Persii*.
42. Idem fecit quoque *Brema & Hamburgi*, ubi unam orationem ex *Livio* jussu *D. Alberti Cranzii* proposuit, & multi eum ex collegio & ordine civium audiêrunt cum voluptate.
43. *Lubeca* hymnum ex *Prudentio* explicuit, & *Wismariæ* unam *Eglogam* Bucolicorum *Vergilii* interpretabatur. Tandem *Rostochium* venit, ubi inter primarios professores volebat videri *Tilmannus Heverlingius*.
44. Buschius verò privatim aliquid ex *Cicerone*, tum ex *Vergilio* & *Ovidio* magnâ dexteritate proposuit, ubi venustatem carminis ac sermonis, phrases & elegantiam indicavit. Tunc statim juvenus cumulatim ad auditorium Buschii properavit & avidè ejus lectiones audiendo percipit. Cum verò ex *Ascensi Badii* ineptis commentariis, Germanicè verbis infulsè in schola paulò ante *Juvenalem* explicuisset *Heverlingius* rogarunt aliquot ex studiosis candidati Buschium, ut etiam *Juvenalis Satyras* eis interpretaretur. Illis gratificaturus præter prædictas lectiones etiam assumit *Juvenalis* & *Persii* versus enodandos: Ibi cum studium viderent longè feliciori venâ & longè majori dexteritate istos poëtas explicare Buschium & poëseos ac prosodiæ phrasés atque elegantias dictionis.

ditionis non minus quàm morales sententias indicare, quàm Heverlingium, contemserunt Heverlingium, qui hoc pacto omni excidit gratià & autoritate, quoniam ipsius oratio erat sterilis & explicatio jejuna & inepta: Buschii verò oratio mirà suavitatem fluebat: Ideo omnes studiosi ad unum confluebant Buschium, deserto Tilemanno Heverlingio, eoque contempto. Hinc fit ut miro in Buschium odio in flammetur Heverlingius, & tandem hoc apud sui similes idiotas & collegas effecit, ut Buschio primum publicè in Academia inhiherentur lectiones, & tandem semestri elapso, ut ei discedendum ex urbe esset.

Hinc fit ut *Oestrup poeticum* Hermannus Buschius contra Tilemannum Heverlingium scriberet & in lucem ederet, ubi inter alia & hi versus exstant:

A multis nostras tunc incunctanter ad aedes
Itur, & ad limen grex studiosus adest.
Quicquid Heverlingus legit auditoribus, illud
Vulgari linguà Teutonicaque docet,
Ergo ad Heverlingum pergat, meliore relicto,
Discere qui sordes barbariemque velit.

Ex Rostochio, comitantibus aliquot scholasticis, venit in novam Academiam Pomeraniæ *Gryphiswaldianam*, ubi literarum autore *Petro Ravennate*, Italo, incipiebant purius florere, ideo ibi ex *Prisciano* Grammatico aliquid publicè prælegit, & librum *i. Lucani & commentaria Caesaris*, & habuit ibidem mediocrem auditorum frequentiam, inter quos etiam erant *Joannes Bugenhagenius*, *Petrus*, *Joannes* & *Bartholomæus Snavenii* fratres: & cum ille adveniret, communi autoritate inde *Alexander Grammaticus*, *Gemma Gemmarum* & *Vocabularius* ex quo, item *Holstot* sunt exclusi, ideo quoque *versilogum Mancinelli* cœpit ibi prælegere.

Et cum ibi ferè per annum hæssisset, circa initium anni Domini 1505. 46. discessit ex ea Academia & venit *Francofortum ad Oderam* Marchiæ, ubi *Joannes Marchio*, Elector cogitabat erigere novam Academiam, quod tamen mox in effectum produxit filius Elector *Joachimus primus*, qui sequenti anno Academiam introduxit: ubi quidem omnes cupiebant eum retinere certo stipendio, sed cum ibi reperiret acrem linguæ Latinæ reparatorem *Jacobum Wimphelingium* ad hoc singulariter conductum, qui etiam postea in ea nova Academia anno Domini 1516. gradum Licentiæ in Theologia sumisit, noluit ibi diu hære, sed tamen specimen edidit sui doni, legens *Claudianum* de raptu Proserpinæ, &

Quintilianum in primis duobus libris. Pauco enim tempore, cum esset laboriosus & quotidie quatuor prælectionibus horas impendere, multa potuit absolvere.

47. Inde discedit non sine marore præcipuorum studioforum, & recta se recipit *Erphurdiam*, quò erat vocatus aliquoties literis *Euricii Cordi*, *Theodori Ulfenii* & *Sturciada* medicorum, & *Jacobi Montani*, *Spirensis* & *Eobani Hessi*, ibi cum istis diu conversatus est, & prælegit *Horatii* librum 6. *Statii* & *Lucani* aliquot libros, cum *Nonni* & *Antonii* *Luciani* grammaticorum scriptis, & omnes isti cum multis studiosis audiverunt *Buschium* in scholis solerter docentem, & illo præsentem etiam præsidente, omnes inepti & barbari scriptores, ut *Alani* & similia barbarorum insulsi libri, sunt publicè abdicati.

48. Ad finem anni à nato Christo 1506. ex *Erphurdia* *Lipsiam* proficiscitur, & ibi multos auditores, qui postea in magnos evaserunt viros habuit, *Georgium Helium*, *Georgium Spalatinum*, *Andream Crappium*, & ex popularibus *Joannem Rivium* & *Hermannum Tulichium* *Westphalici* ibi *Spicilegium sententiarum* ex 35. Philosophis collegit & eas cum *Officii Ciceronis* contulit in prælectionibus, deinde, cum ad auditorium publicum esset admissus, legit quoque *epistolas Ciceronis*, *Tibulli* & *Propertii* carmina, & *Aldi Manutii* grammatica commentaria tunc primum evulgata: ibi diserta, acuta & suavis prælectio *Hermanni Buschii* omnibus & singulis fuit gratissima. Hinc factum est, ut multi diversis editis carminibus & scriptis *Buschium* celebraverint. Ideo *Joannes Sturnus*, qui cum suo condiscipulo *Joanne Widenavero*, *Egrano*, & *Caspate Schlickio*, (qui ibi post *Buschium* *Philosophiæ* & artium profectores facti sunt) audivit prælegentem, sic scribit ad eum, publico carmine:

Barbara quæ quondam fuerant *Lipsensia* Tempe,
Nec nisi barbaricam docta sonare Chelin,
Jam nunc Aoniis certant *Hermanne* Camænis,
Et redolent *Latiam* te duce *Calliopen*.

Eodem tempore auditor erat *Buschii M. Christianus Bojarius* (qui postea factus est *Frederici Electoris Saxoniae Cancellarius*) qui sic de illo in publico scribit carmine, eodem tempore:

Buschio inexhaustas *Juvenes* jam pangite laudes,
Et viridi è lauro præmia digna date,
Qui vos excoluit *Latia* Græcaque *Minervâ*
Vexit & huc *Musas* ex *Helicone* sacras.

Nam rogatu suorum auditorum etiam *Lascharis* Grammaticam Græcam cum *Phocylidis* sententiis Græcis proposuit: ideo idem Bajoarius sic pergit de Buschio scribere in publico epigrammate:

Barbara quæ fuerant, hæc fecit regna Latina
Castalidos Lipsis hoc duce potat aquas.
Ergo canendus erit meritoque colendus honore,
Quo duce barbaries pestis acerba ruit.

Ideo Lipsensis Academia debet inprimis huic Buschio acceptum referre, quod sit à fœda barbarie liberata.

Circa annum 1510. vocatur in novam Academiam Wittebergen- 49.
sem per *Vincenium Thamasium*, Ravennatem, J. U. Doctorem & ibidem professorem: Etsi verò ibi esset poëta Italus *Sbrulius*, & similiter *Otto Beckmannus*, Westphalus, poëtica tractaret, & eò se ex Lipsia conferrent cum Buschio *Tulichius* & *Crappius*, tamen cum Sbrulio certavit Buschius: quia ut ibi Sbrulius Baptista Mantuani poemata proponebat, ita hic Vergilii, Lucani, Propertii, Tibulli & Aufonii carmina & Senecæ Tragœdias explicuit, & cum mirificè oblectaret auditores, & auditorium esset illi frequentius, quàm *Sbrulio*, est coorta inter ipsos dissensio: Ideo Buschius regreditur Lipsiam, ubi interim priores barbari lectores conspiraverant contra eum, ideo effecerunt operâ *Hieronymi Emeseri* apud Ducem Georgium, ut anno Domini 1511. cum *Longicampiano* Mathematico ejiceretur.

Sic regreditur in Saxoniam, subsistens *Magdeburgi*, & voluit quidem 50.
ibi legere, sed impeditur à barbaris, digressus *Brunswigam*, ubi admittitur, ut *Prudentii* aliquot hymnos explicaret, & toti Clero erat gratus.

Brunswigà discedens venit *Hildesum*, ubi Canonicos aliquos habuit 51.
cognatos, cum quibus per mensem vixit, & ibidem speciem eruditionis edens prælegit epistolam *Hieronymi ad Nepotianum*.

Ex ea urbe confert se in *Schowenbergicum Comitatum*, in quo habebat bona hæreditaria, ex quibus cum annuos proventus consecutus esset, ut ad longa itinera perficienda paratior esset, abit *Mindam* ad fratrem *Borchardum*, tunc electum Decanum in majori collegio, ubi 52.
reperit *Bartholomeum Colonensem*, (qui & Coloniae & Daventriæ Swol-
lisque antea, ut erat vir suo tempore doctissimus, barbariem profligaverat & acriter contra Barbaros certaverat) ibidem in schola gubernatorem scholasticae juventutis agentem, & omnes ad meliorem frugem

rei literariæ ducentem, de quo ante annos decem sic noster Buschius in publico carmine cecinerat:

Barbaries ægrum virosis faucibus orbem
 Polluerat linguis, sibila dira vomens.
 Pejor Lernæis nunquam fuit hydra cavernis,
 Fecerat hæc doctis publica damna scholis,
 Accinctus clavâ sed tu Tyrinthus alter
 Sternis Cerberiam Bartholomæe feram.
 Hinc te Romanâ jactat facundia linguâ,
 Murmurat & laudes Castalis unda tuas.

- Mindæ moritur Bartholomæus Coloniensis pauper, & cum ibi pululum respirasset Buschius, & *Somnium Scipionis* ex *Macrobio* in scholâ petente fratre, prælegisset, & unam vel alteram epistolam ex *Ovidio*.
53. confert se quoque *Osnabrugam*, ubi tunc reformavit linguam Latinam, sicut antea Swollis fecerat post *Hermannum Torrentinum*, M. *Joannem Alexander*, Meppensis, qui ut audierat *Murmellium* & Coloniæ *Calvarium*, ita mirâ quoque eloquentiâ præditus politiores literas prorexit: in cujus schola habuit orationem contra barbaros.
54. Mox recurrit *Monasterium* ad Langium & alios veteres in scholis
55. condiscipulos: inde profectus *Daventriam* ad *Ædicolios* fratres, *Gerhardum* & *Lystrum*, ubi quædam ex *Aulo Gellio* & aliquot *epigrammata Martialis* auditoribus præposuit.
56. Inde tendit *Amstelrodamum*, in qua Hollandiæ urbe primaria reperit *Alardum Amstelrodamum*, qui commentaria scripsit in *Rodolphi Agricolæ* libros tres de inventione *Dialectica*, & in tomos collegit *Rodolphi* scripta Coloniæ edita, in cujus schola *Porphyrit* de prædicabilibus narrationem explicuit & *Petri Hispani* ineptias refutavit, atque auditoribus exhibuit unam *Comœdiam Plauti*.
57. Mox se recipit *Alcmariam*, celebrem Hollandiæ urbem, ubi tunc studia rexit *Joannes Murmellius*, & cum ipsum carmine aliquo recitanti suis auditoribus commendasset, abit *Trajectum* ad *Gerhardum Novium* *gum* historicum.
- Cum eo pergit *Lovanium*, ubi in Academia reperit *Adrianum Barlandum*, *Adrianum Trajectensem* (qui postea Cardinalis & demum Papa factus est) *Jacobum Latomum*, *Franciscum Titelmannum*, item *Conradum Goclenium* & *Hermannum Stuvium* *Westphalos*, & insignes ibidem cum *Reschio* linguæ Latinæ reformatores, (quorum priorem ejusque

suaviloquentiam *Erasmus Roterodamus*, & posteriorem *Murmellius* insigniter & mirifice commendat in publicis scriptis) *Nicolaum Cleonardum* & *Joannem Campensem*, Græcæ & Hebrææ linguæ restauratores aliosque plures, ibi proficitur Buschius ex *Organo Aristotelis tractatum de predicamentis*: *Rhetoricam Ciceronis* ad *Herennium* cum aliquot *epistolis ad Atticum*, his adjecit *Hesiodi* librum primum, & *Horatium* de arte poetica, & ita in utraque lingua specimen suæ eruditionis eximiæ & præclaræ ibidem edidit, & cum admiratione & exultatione studiosorum auditus est.

Ex ea Academia se in *Angliam* recipit & ibi cum *Joanne Coeto*, 58. *Joanne Roffensi* episcopo, *Thoma Moro*, *Vergilio Polydoro* & aliis familiaritatem contraxit, & in schola nova *Coleti* & alibi in Academiis professus est, interea dum ex Anglia redit, proficiscens per inferiorem Germaniam, fit certior de morte *Joannis Murmellii* subito *Daventriæ* extincti, de cujus obitu in itinere scribit publicum mœroris carmen ad *Rodolphum Langium*.

Interea revocaverat *Coloniæ* Buschium præpositus Summi templi, 59. *Hermannus*, Comes à *Newenar*, qui eum vehementer amavit, sic inquam revocatus à Comite *Novæ Aquilæ* *Hermanno* Præposito, qui cupiebat literas in primis *Coloniæ* florere, ibi *Catonis disticha* & sua commentaria in *Donatum* edita repetit & aliquid ex *Statio* & *Claudiano* proponebat; legebat etiam *Gellii* aliquot libros & *Plinii* epistolas. Et paulò ante ipsius reditum *M. Andreas Canther*, gravissimè ibi quoque cum *Joanne Casario* taxaverat barbaram *Alexandri Galli grammaticam*, eamque ex scholis quibusdam eiecerat. Sed Buschio se mox opponit *Orthwinus Gratinus*, ejus olim condiscipulus & popularis, reprehendens hoc oblique, quod Buschius in suis commentariis in *Donatum* scriptis, habebat, videlicet tale grammaticum scriptum magnis etiam Theologis, Doctoribus & Magistris necessarium, utile & fructiferum fore, idque fecit ràm in lectionibus quàm publicis scriptis.

Orthwinus enim, vir alioqui non indoctus, in gratiam barbarorum Theologorum, (aucupans opimam aliquam præbendam & beneficia Ecclesiastica) sese conjunxerat *Jacobo Hochstrato*, Theologo & Magistro nostro, certanti contra *Joannem Reuchlinum Capnionem*, contra quem pro *Hochstrato* *Lovanienses* & *Parisienses* Theologi pronunciarant. Interea dum utriusque causa ventilaretur *Romæ*, ubi patrocinium *Reuchlini* suscepit & ipsius actionem defendit Buschii amicus,
Doctor

Doctor J. U. *Joannes à Wic* / (qui postea anno Domini 1533. in *Witten*
 non / ut sanctus martyr, tyrannicè est occisus à Canonicis Monasterien-
 sibus, propterea quod ibi promovisset Evangelii doctrinam) cadit causam
 Hochstratus, hinc fit, ut sese conjungerent Præpositus *Comes Neuwena-*
rins, Ulrichus ab Hütten / eques, *Reuchlinus & Buschius* atque plures, &
 epistolas obscurorum virorum ridiculas contexerent in invidiam *Orthwinii*
Gratii, qui multis scriptis defenderat Hochstratum, & hæc jam etiam in
 multorum manibus sunt.

60. Mox ibidem edidit Buschius commentaria in *Claudiani* carmina de
 raptu Proserpinæ, ad *Adolphum Eickholz* / Canonicum D. Virginis ad
 gradus, ubi in præfatione acriter insequitur Buschius *Alexandrum Gal-*
lum Grammaticum, vehementer, ut inquit ille, laudatum à quibusdam
 ineptis & insulis professoribus, blateratoribus & theologis, quos
 optimo jure ibi perstringit, docens eos Colonia tam esse impudicos,
 ut omnes oratores & poetas veteres, eosque probatos & ingenuos, et
 mera inscitia oderint, cum tamen nemo sit, qui vel ad Jurisprudentiam,
 vel ad Theologiam, cæterasque Medicinæ & Philosophiæ partes per-
 venire possit, vel sit idoneus, qui non in meliori Grammatico & aliis
 politioris literaturæ scriptis versatus sit, quàm in *Alexandri istius* tabu-
 lo immundo, & qui aliter censeant, obtusos eos esse reputat. Interim
 sic pergit: Mi Adolphe, tales ita magno numero hic & alibi sunt, ut
 non solum angulos quosdam, sed gymnasia, thermas, theatra, portu-
 cus, plateas & fora omnia, adeo ipsa etiam templa replent. Et sunt
 adeo arētissimè inter se confœderati adversus nos ipsos, qui veteris
 eloquentiæ studiosi sumus, nostraque humanitatis studia, ut putent
 nullum ad eximiam aliquam eruditionem pervenire posse, nisi in *Ale-*
xandro Gallo versatus sit.

Idem Buschius edidit *Decimationes Plautinas*, ubi sic quoque contra
 Colonienfes indoctos Sophistas scribit: Tu, quod *Cicerero*, quod *Varrone*
 quod *Livius*, quod *Cæsar* & *Florus*, quod *Valerius*, quod uterque *Plinius*
 & cæteri emunctissimi scriptores locuti sunt, dubitas imitari, nisi con-
 veniat ille *Alexander*. Hunc tu judicas idoneum stolidè, qui de *Ver-*
gilio aut *Cicerone* pronunciet. Quid si idem velis, ut sus *Minervam*
 doceat.

61. Cum hæc & similia scriberet, & in lectionibus proferret Buschius
 rursum relegatur ex Academia Coloniensi. Ita operâ fratris Præpositi
Hermanni à Neuwenaar / Wilhelmi, Comitis in Neuwenaar & Wic
 Domi-

Domini in Bedber/ &c. promovetur, ut suscipiatur in *Rectorem* & gubernatorem scholæ in inferiori *Wesalia Clivorum*, ubi Conrectorem habuit *M. Jodocum Herlapium*, qui in patria urbe *Osnabrugæ* Secretarium, Senatorem, Quæstorem atque Consulem postea egit.

Ibi conscripsit *Vallum Humanitatis*, quod Coloniae typis suis evulgavit *Joannes Gymnicus*, qui hoc nomine apud Barbaros in periculum venit: ubi expressè gravi oratione in eos invehitur, qui veterem Coloniae barbariem sapiant. Et ita deinceps pergit: *Quomodo quidam poëtriam* (sic enim ajunt isti barbari barbare loquentes) & artes, puritatemque lingua vituperent & tantum ab illis *Grammaticis Alexandro* & *Eberhardo* omnia peti vellint, plus quam notum est. Et mox: *Quicumque modo primam & secundam partem, ut vocant, Alexandri & composita verborum attingit, satis superque jam ad omnes pandectarum libros & leges universas percipiendas idoneus auditor est.* Imò si quid præterea in *Latinis literis profecit, omnino id velut superfluum in eo damnatur*: imo quanto quis rudior fuerit, tanto fermè aptior ad *leges & canones censetur*. O temporum inscitiam, o quantis vita in tenebris degitur evum? *Divus Hieronymus* propter *Latinum sermonem* se ab ipsis incunabilis inter *Grammaticos Rhetoresque & Philosophos detritum esse dicit, ut sic posset esse utilis Ecclesia.* At nunc prohdolor optima in *solis pueri & Ecclesiasticis quoque præficiendi officii Grammaticos & Rhetores audire quotidianis propè convitiis prohibentur præter unum Alexandrum Gallum cum Glossa notabili Colonia nata, quem si consultum profectu eorum vellent, quia se solos rectè consulere illis putant, prohibendi erant vel procul aspicere, postea ait esse quosdam Phromiones Colonia qui Rhetoricam sub grammatica prima & secunda partis comprehendant, & ita ostendant se rem Philosophia ignorare.* Et in præfatione ad Præpositum *Hermannum*, Comitum de nova *Aquila*, istum *Heroa* ait penè solum studia bonarum literarum sola Colonia colere, &c.

Interim *Joannes Casarius, Arnoldus Wesaliensis, Joannes Noviomagus, Joannes Matthaus, Phrissemius*, cœperunt puriores postea literas Colonia accendere & propagare.

Quanta verò & quàm insulsa fuerit dictio & præceptio in *Alexandro 62. Gallo & Eberhardo*, & quàm absurda vocabula in *Gemma Gemmarum & Hoslofoth* / aliisque ineptis scriptoribus, publicis scriptis invecivis testati sunt apud *Italos Sulpitius Verulanus, Antonius Mancinellus, Antonius Illuminatus, & Aldus Manutius*; item apud *Germanos, Rodolphus Agricola, Rodolphus Langius, Alexander Hegius, Erasmus Roterodamus,*

Jacobus Wimphelingius, BUSCHIUS noster & *Joannes Murellius*, qui posterior, priorum testimonia in suo *Scopario* ad profligandam barbariem congeffit.

Cum verò BUSCHIUS aperiret scholam *Wesaliae*, ecce tunc sub *Camenero*, *Murmelio*, *Peringio*, *Horlenio*, *Tunicio* & sanè sub multis aliis doctissimis viris ad annos Sedecim floruerant litera in urbe *Monsperensi*, item *Swollis* sub *Hermanno Torrentino*, *Embrica* sub *Joanne Elia* juniore, *Tremonia* sub *Nehemio*, & alibi in aliis locis, de quibus diximus, *Wesaliam* ad audiendum Buschium *Coloniâ* & aliunde studiosi se conferunt.

63. Interea prodeunt *Philippi Melanchthonis* scripta, non tantum in causa religionis sed etiam in reparatione studiorum, quae *Buschius* avidè legit. Et cum *Lutheri* & *Philippi* atque *Bugenhagii* *Pomerani* prodirent Theologica quoque scripta, coepit illa evolvere & animum ad Theologiam adjicere; mirifico zelo cognoscendae veritatis, ideo in usum suae scholae colligit in ordinem primarias sententias ex *Salomonis* & *Jesae* *Syrach* scriptis: & interea legit avidè *Biblica scripta*, & veterum Patrum, ut ex *Græcis Cyrilli*, *Theophylacti*, *Vulgarii* atque *Chrysostomi*, & tandem post turbas à *Carolo studio* datas, cum *Witebergam* rediisset *Lutherus* contulit se quoque in eam *Academiâ* noster *Buschius*, & invenit ibi ex popularibus Professores *Ottonem Beckmannum* (qui tamen propter religionem deseruit mox vocationem *Witebergæ* & rediit ad *Papatum* in *Westphalia*) & *Hermannum Tulichium*. Ibi omnibus & Theologis & Professoribus erat gratus hospes *Buschius*, qui ibi *Fortunatianus Sedulii*, *Prudentii* & imprimis *Severini Boëtii* carmina non vulgaria explicuit magno cum auditorum fructu, inter quos etiam repertus est *lape Melanchthon*, & se eò contulit *Petrus Mosellanus* ad audiendum *Buschium*. Ibi eum tunc ex *Westphalis* audierunt, qui se cum ipso eò contulerant *M. Rodolphus Mollerus*, *Homerus Buteranus*, *Henricus Sibani Olphenius*, *Joannes Glandorpius* & plures, qui postea mirificè & bonas litteras & ipsam pietatem in *Westphalia* propagarunt.

Eti verò in magnis *Papatus* tenebris, ille & *Langius* & *Hegius* educati & nati essent atque etiam *Pontificia* sacra ardentè secuti essent & publicis scriptis defendissent, tamen sub tanta caligine in fundamento persisterunt, sicut carmina ab ipsis ante annos 70. plus minus scripta indicant. *Rodolphi* enim *Langii* pia carmina sunt hæc:

Hei mihi quàm lacerum crudeli vulnere corpus,
 Gloria Majestas quo latuere DEI?
 Quo te Christe potens miserorum culpa, creator
 Deduxit, flagris candida terga dares?
 Utque latus ferro, sed acutis cuspide spinis
 Heu caput & clavis dilacerare manus?
 Et terebrare pedes sacros qui sydera calcant,
 O dolor! o pietas! sanguine cuncta manent.
 Ipse crucis duræ properabas lætus ad aram,
 Æthereas scandat pulvis & umbra domos.
 Funde igitur gemitus sudantia vulnera cernens,
 Et scelera hoc studeas fonte lavare miser.
 Terribilis ne te vestitus fulmine Judex
 Ingratum sternat mucroque vulnificus:
 Ignivomos ponat vultus, sed morte precare
 Eredientem animam si onsque serena ferat, &c.

Alexander Hegius inter alia sic de Christo scribit:

Robure oppressus trunco rex orbis Jesus,
 Fasce gravi venit namque levare suos.

Item de puero Jესu sic canit:

Alpha vocaris & ω, quia fons & clausula rerum es.

Item,

Morte sua cœli portam patefecit Jesus, &c.

Et quæ Hermannus Buschius in Papatu scripsit inter alia & hæc sunt carmina ejus:

Quod mucrone latus lacerum, quæ brachia cernis
 Vel quos sanguineo rore rubere pedes?
 Quas gens ecce manus duro furiata terebro
 Foderit, heu ligno tenaque crura sacro:
 Quodque vides humile & nusquam sine vulnere corpus,
 Hoc solum humanæ jura salutis habet.

Ex his versibus apparet, etsi quænam vel ad Sanctos, vel de alia superstitione scripserint in tantis tenebris Papisticis isti tres magni viri, quod tamen in fundamento religionis etiam tam superstitioso tempore manserint.

Interim dum agit Witebergæ Buschius, pergit se in Bibliis & lecti-

lectionibus sanctorum Patrum diligenter exercere, & multa in religio-
nis controversiis rectius intelligere quam antea.

64. Hinc deinceps factum est, ut dum Illustrissimus Princeps *Philippus Hessa Landgravius*, cogitaret de Academia *Marpurgi* constituenda atque ad ejus usum undique per Germaniam conquireret & convocaret viros doctrinâ & scriptis claros, & simul in consilium adhiberet *D. Latherum*, *Philippum* & alios *Witebergæ* professores primarios, illi proposuerunt & honorificè commendarunt (ut multi etiam alii superioris Germaniæ viri docti faciebant) Principi, *HERMANNUM BUSCHIUM*, ut jam senem exercitatissimum in omni scientiarum genere & hoc nomine clarissimum, qui plurimum lucis isti novæ Academiæ daturus esset. Ideo & solemniter & cum pompa quadam per *Inclytum Landgraviæ* Principem vocatur *Marpurgum*, & pro felicis ingressus munere eximio & serico vestitu donatur, & tunc *Historici* munus sustulit, & tantisper in *pœsi* tractavit poëtarum scripta quoque & quæ ad profodiam spectant, donec eò vocaretur *Eobannus Hessus*, *Francoburgius*: & in ea Academia absolvit totum opus *Livii & Caesaris*, & cum *Gerhardo Noviomago*, quem olim *Trajecti* in aula noverat, interdum etiam sacra tractavit & proposuit *Augustini* librum de Ecclesiasticis dogmatibus, de Fide ad *Petrum*, & librum *Sapientiæ*: interim omnes cum admiratione & voluptate audiverunt prælegentem senem *Buschium*.

Memini multos præstantissimos viros nobis aliquoties referentes: (inter quos erat *Georgius Honderlagius*, Medicus Doctor, qui per decenni-
nium in ea Academia hæserat continuo) quomodo *Casparus Rodolphus Suevus*, Professor ibidem *Dialectices* (cujus etiam *dialectica* extat) sicet semper infensissimus *Westphalorum* hostis fuerat, dixerat tamen ego et si in *Westphalos* (tracta verat enim ipsum malè unus ex *Westphalis Ludolphus Cothemannus*, Joannis filius *Lemgoviensis*) valdè malè affectus semper fuerim & adhuc sim, tamen si verum fatear, non habuit hæc Academia eloquentiores Professores, quam duos illos *Westphalos*, *Buschium* & *Joannem Glandorpium*, *Monasteriensis*, qui *Buschio* in professione *historiarum* successerat. *Buschius* anno D. 1529. libros duos de autoritate verbi *DEI*, tam ex *Patribus* quam ex *scriptura sacra* diligentissimè collectos emisit.

- Audivit quoque inter alios auditores etiam designatus, *Lutherum* cum *Cinglio*, & *Philippum* cum *Oecolampadio* conferentem, & memini *Glandorpium* nobis referentem, quod *Monasterii* propediem in *Sacra-*
men-

mentariorum opinionem traxisset ipsum *Rothmannus*, nisi eò se contulisset *Buschius*, qui quoque dixerat se similiter fuisse propediem *Oecolampadii*, *Cinglii*, *Capitonis* (quem in aula Moguntina noverat) & *Buceri* sententiã Sacramentariã præoccupatum, & ferè istorum libris seductum, nisi coram audivisset *Lutherum* graviter refutantem *Cinglii* putida argumenta, & *Philippum* fallacias & absurditates in argumentis *Oecolampadii* indicantem, ab eo enim tempore, dixerat *Buschius*: ego perstabo in sententia *Lutheri*, & ut idem faceret *Glandorpius*, suaserat.

Marpurgi optimi quique Professores (inter quos erant *Joannes Fontius*, *Adamus Kraffius*, *Fuldensis*, Theologi) eò perduxerunt *Buschium*, ut ibi tandem senex iniret cum honesta puella matrimonium, 66. & cum ea anno Domini 1527. nuptias celebraret, ex qua genuit filium *Hieronymum*, qui paulò ante patrem occubuit *Dulmone*.

Cum verò *Bernhardus Rothmannus* inciperet causam Evangelii feliciter tractare *Monasterii*, *Buschius* eum variis consiliis & scriptis juvit & in proposito confirmavit; Verum cum ille inciperet cum 67. certis quibusdam collegis rothizare, hoc est rei Sacramentariã & Anabaptistica factioni se adungere, rogarunt consules & senatores in urbe *Monasterio* *Buschium*, ut aliquos mitteret, qui cum puris Evangelii ministris, sectariis istis occurrerent, aut ut ipse se in *Westphalam* reciperet, ut patriã periclitanti succurreret. Ita ille jam pertæsus laborum, de hortatu reliquorum Theologorum, descendit cum familia in *Westphalam*, ut *Dulmone*, oppido dictonis *Monasteriensis*, pedem figeret, (habebat enim ibi aliqua hæreditaria bona ex matre.) Quò cum venisset, mox eum evocant *Monasterium* consules & senatores in metropolin *Westphaliã*, de consilio *Syndici* *Doctoris J. U. Joannis à Bick* / sancti martyris: ubi adveniens omnia invenit turbata; vidit enim *Rothmannum* arrogantem triginta annorum juvenem, suis, quibus 68. à Deo excellenter ornatus erat, donis & bonis spiritualibus abutentem, jam superbire, suo indulgere ingenio, erigere cristas & inolescere. Amicè itaque cum eo privatim de omnibus turbis voluit conferre, sed videbatur senem *Buschium*, jam tamen optimè de re literaria & etiam de Ecclesia meritum, juvenis *Rothman* ex mera insolentia & arroganti petulantia, cum sibi soli videretur sapere & se omnibus hominibus doctiorem esse, licet illi multum debeat acceptum referre, contemnere & præ se vili facere.

Senatus igitur cum videretur amica compositio irrita fieri & esse, insti-

instituit in curia colloquium publicum 7 Augusti coram omnibus senatoribus & tribunis anno Domini 1533. In eo autem colloquio quid dixerit & egerit D. Buschius, jam breviter referam: quamvis necesse erit, ut prius recensentur, quos collegas, quos quoque adversarios, contra quos ei disputandum erat, habuerit ibidem Buschius.

Collegas habuit in ea disputatione *Joannem Holhusium*, *Ahusensem*, Patrem in domo fratrum, & ibidem procuratorem *Theodorum Bredevortium*, *M. Joannem Glandorpium*, *Petrum Wirthemium*, *Bricium Nordanum*, *Arnoldum Belholdum*, quondam Judicem. Adversarios habuit *Bernhardum Rothmannum*, *Joannem Cloprisium*, *Henricum Boliolum*, *Godefridum Stralen/Dionysium Dynen/Distensem*, & *Hermannum Stapradam*, Anabaptisticae factionis assertores, quorum omnium nomine respondit in colloquio Rothmannus. Conferebant coram Senatu utriusque partis patroni idiomate Germanico, & quidem patrio, & singulorum verba in chartas relata sunt. Quae ego *Hamelmannus* aliquando Latina feci & in lucem dedi, interim relationem eorum, quae Dn. Mag. Buschius protulit, cum ad hanc historiam pertineat, subijciemus, ut cognoscatur, quo fructu ecclesiae inservierit *Hermanus Buschius*:

Initium colloquii tale fecit Buschius:

69. *Clarissimi & Prudentissimi Proceres, in hoc celebri consessu congregati, ego quidem superiori anno vehementer gaudebam, & magna laetitia persuadebar, quod audirem, in patrii nostri soli urbe primaria, Evangelium Christi depositis abusus propagari, & Sacramenta citra ullam superstitionem, juxta divinam institutionem tractari & erogari publice in Ecclesia; tum quoque ministerium Bernhaldi Rothmanni, hominis ingeniosi & facundissimi, de quo tunc temporis multum spei conceperam, gratulabar nostris Monasteriensibus, sed mea spes me fefellit & videtur gaudium in moerorem transmutatum esse: cum in eum casum res Ecclesiae & Reipubl. delapsa sit, ut, nisi Deus optimus maximus hoc avertat, multum & damni & periculi utrique imminet. Quod etiam mei mecum collega, confratres & amici colendi hic multo astantes, equa lance trutinantes similiter vicem Ecclesiae, & turbatum Reipubl. statum deplorant, orantque mecum filium DEI sedentem ad dexteram DEI Patris & dantem dona hominibus, tanquam autorem verae pacis, ut mitiget utrobique dolores, & Ecclesiae concordiam in unitate fidei, Reipubl. autem tranquillitatem clementer tribuat. Quod vero Senatus petit, faciemus nos bona fide id quod bonos viros decet, in omni lenitate gratificaturi libenter ejus prae-*

dentia, modo aduersa partis patroni, proferant de sua opinione propriam confessionem, an etiam in noua, nuper suscepta sententia, & ea responsione vel apologetico scripto, quod non ita dudum conclusionibus & censura Theologorum Academia Marpurgensis opposuerunt, perseverent, & sint propensi, ut de his nobiscum coram prudentiss. Senatu & prouidis tribunis conferant, idque amice & modeste.

Cum se aduersarii per Rothmannum splendidis verbis declarassent, sic pergit Buschius: Postquam Dn. Bernhardus suo & suorum collegarum, amicorum nostrorum, nomine, ad amicam nobiscum habendam collationem de duobus sacramentis, videlicet de Baptismo & Eucharistia, ea tantum lege se offerat, ut ex verbo Dei transactio fiat, & veluti ipsi ex prescripto Senatus, se paratos dicunt, quod velint locum dare veritati manifesta, si conuincantur: ita nos quoque non aliter exhibeamus affectos, quam ut manifestis demonstrationibus verbi Dei conuicti ultro cedere non erubescamus, quod quidem nostri mecum hand gravatim suscipiunt. Interim rogamus, ut sicut nos agemus modeste nostras partes absque rixis, altercatione & tumultu, ita & quisque istorum placide & sincere agat, ne quoque ullus in suo proposito pertinax & obstinatus perseveret, sed ut luculenter suam quisque fidem aperte in verbo DEI fundatam testetur. Quod ad nos attinet, ego quidem & mea & meorum collegarum nomine respondeo, nihil nobis prius in votis esse, quam huiusmodi fieri colloquium, in quo placide, modeste, sedate & pie de omni re proposita differatur ex verbo Dei, cui sane nos cedere paratissimi sumus, modo id recte & in germano sinceroque suo intellectu assumatur, explicetur & intelligatur. Nos quidem omnia faciemus, que Christianos, modestos & pios viros decent, ideo ardentibus votis oramus Deum optimum maximum non minis nos, quam aduersarii, ut celebrem hanc urbem clementer ab omni malo protegat, & in ea Ecclesiam ab omni errore, heresi & dissidio tueatur.

Mox adhac respondit homo impius Bernhardus Rothmannus, qui 70. post colloquium furore percitus pedetentim abjectis tandem Bibliis, Enthusiasmo & novis raptibus agitabatur: imo abjecto legitimo suo officio factus est novi & Anabaptistici Regis orator, & deinde uno simul tempore sex conjuges conjunctim duxit, & sic suam horrendam impietatem prodidit. Sed ad hoc responsum Rothmanni auditum sic apologiam texuit M. Hermannus Buschius pro felici causae ingressu:

In nomine Domini amen! Dn. Bernharde, amice carissime & reliqui vos 71. Domini presentes ab altera parte. Nos quidem valde miramur, vos modo aduersarios nostros, pro anathemate, & loco abominationis habere & reputare

paedobaptismum coram Deo, & in ejus sancto aspectu, cum sanè hoc de
nostra sententia videatur horrendum & obstupescendum. Nam, si hoc verum
esset, sequeretur nos quidem omnes, quotquot infantes baptizati sumus, esse
abominationem, idque sanè coram Deo ipso. Non minori quoque admiratione
ducimur, quod ex vestris collegis Dionysius referat, paedobaptismum in
scripturis divinis nullum habere fundamentum: Ideo, si illud, quod non ex-
pressis literis & syllabis habetur in verbo Dei exsculptum, deberet esse abomi-
nabile, juxta vestram sententiam, id est anathema, ut dixit Rollius: nec
quoque non legitur expressis verbis & nominatim alibi explicitum, ut porci-
gatur mulieribus Eucharistia Sacramentum, cum tamen hoc & in antiquissi-
ma & nostra Ecclesia sit usitatisimum, ergo est anathema, & abominatio
coram DEO. At hoc non potest esse verum, nisi forte omnium temporum
Doctores, una cum Apostolis erraverint, ideo etiam vestrum argumentum non
potest esse verum. Deinde quoque nullibi in scripturis legitur, quod paedobaptis-
mus dicatur abominatio vel anathema coram Deo esse, doceant igitur
adversarii, quomodo & quatenus possit esse ac nominari anathema & abomi-
natio paedobaptismus?

Nos quidem fatemur in sacris literis nullibi expressè talibus syllabis &
literis, vel iis verbis, apertè inquam, exstare mandatum, quod infantes &
pueri sint baptizandi. Interim consequentia & sensus hujus assensum &
sententia potest ex iis perspicuè deduci & demonstrari. Cum igitur adversarii
velint, ut omnia ex scripturis ita apertè approbentur, tunc quoque peto nobis
demonstrari, quo in loco dicat scriptura paedobaptismum esse anathema coram
DEO. Secundò, arbitror apud non contentiosos facile demonstrari posse ex ra-
tionibus & consequentia scripturarum, licitum esse infantum baptismum, ut non
inde sequatur nunquam appellari posse eundem anathema vel abominationem
coram Deo. Legitur Exodi 4. quomodo puerum incircumcisum Moyses
angelus lethali & gravi morbo percussit, propterea, quod non esset à paren-
tibus circumcisus, acceptà autem circumcissione à matre, revaluisse puerum:
ex quo exemplo perspicuè apparet, in pueris sacramentum baptismi per se esse
cax & salutare esse, etiam si isti ratione careant. Nam propterea non est neces-
sarium, ut tantisper sacramentis priventur, donec propriam habeant vocalem
fidem pueri, quia alioqui etiam hoc non minus in veteri Testamento fuisse
necessarium. Abraham cum credidisset, accepto primum mandato de cir-
cumcissione, se quidem credentem Deo vocanti, circumcidit, filium autem
infantem, nondum habentem vocalem fidem, octavo die natiuitatis suae cir-
cumcidit: Et haec exempla sunt perspicuè in verba Dei fundata, quae effugiant
e veris

everti nequeunt. Sed hic forte excipient adversarii circumcissionem esse veteris Testamenti, Baptismum esse novi Testamenti sacramentum, ideoque rem esse diversam. Sed utrumque Testamentum unum nobis Deum, unum Christum, unam fidem, & unam Ecclesiam predicat, nec alià fide isti, quotquot salvati sunt sub veteri Testamento, quam eà, quæ & nostra est, salvari potuerunt. Et ut illos spiritualement potum bibisse & eandem escam edisse, refert scriptura, ita omnes sub nube baptizatos fuisse. 1 Corinth. X. Si forte adversarii urgeant, circumcissionem esse & dici sædus & signaculum, ideo aliud esse. Sed idem quod de circumcissione dicitur, nostrà concessione potest etiam de baptismo dici, quoniam quod nobis baptismus est, id fuit circumcisio istis olim, & potest utrumque nobis etiam utrobique mysterium fidei, hoc est, quasi analogon fidei esse, quia ut predicto loco assertitur, Apostolus populis veteris Testamenti assignat aliquem baptismum, ita quoque Philipp. 3. nobis Christianis assignat circumcissionem aliquam, & ejus mysterium. Nos enim, ait, sumus circumcisio, qui spiritu Deum colimus, & gloriamur in Christo Jesu, & non confidimus in carne.

Unum adhuc propono argumentum, idque contra eos, qui dicunt pado-baptismum esse coram Deo abominationem & anathema, in sacra scriptura Deuteronomii sic legitur cap. 12. Quod tibi precipio, ait Deus, hoc tantum facito domino, nec addes ad illud, vel ei quicquam detrahes. Jam verò qui pado-baptismum pro anathemate habent, addunt verbo Dei sine ullo dubio aliquid vel proferunt aliquid, quod non est in verbo Dei expressè fundatum. Ideo isti agunt contra mandatum Dei, prohibentes hoc, quod nusquam à DEO legitur prohibitum, &c.

Ad hæc argumenta, cum prolixâ commentatione respondisset Rothmannus, mox ad istas objectiones & effugia Rothmanni refutanda, protulit Buschius hæc sequentia argumenta.

Ad exceptionem primam Dn. Bernhaldi, quod peccatum abominationis coram Deo in iis, qui ignoranter peccant, non sit per sese quadam abominatio, cujus rei dat exemplum de Missa Papistica, sic respondeo: Pro mea simplicitate fateor, quod hæc non satis assequar aut intelligam, nam quomodo abominatio non sit abominatio, & peccatum non peccatum, ego satis non percipio, & video hic mira effugia: Interim, ut sunt sæpe peccata, quæ nos vel non intelligimus, vel ignoramus, sicut David ait, delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me domine: ita nullum potest peccatum excusari. Ideo constanter adhuc retineo meam priorem sententiam dicens, si juxta opinionem Dn. Bern-

hardi & suorum collegarum padobaptismus nihil aliud esset, quam peccatum & abominatio, tunc nos omnes non ritè baptizati essemus, aut essemus peccatum, vel abominatio. Interim baptismus, per se, non potest esse peccatum, padobaptismus est juxta institutionem Christi per actus in pueris, ergo est baptismus, & ita non potest esse abominatio. De Missa jam nihil disputatur. Ad argumentum meum de circumcisione filii Moysi, quod nihil respondeat adversarius, jam adnotari cupio à notariis.

Ad secundum effugium, quod ex mea concessione conatus est adversarius eruere suam opinionem, quod padobaptismus propterea sit abominatio, quam de eo nihil clarè & explicitè in sacris literis expressum habeatur, respondeo, me mirari, ita conari evadere adversarium. Interim ego confiteor assero non esse opus, ut explicitum, & externum certis suis syllabis comprehensum mandatum, aut verbum aliquod padobaptismus habeat, postquam prius adversariis opus sit vel imprimis, ut illi ante omnia in initio demonstrent expressis verbis per syllabas & literas ex sacris literis, padobaptismus nominari & dici abominationem vel anathema, cum nos dicamus, ne quidem illicium vel interdictum aut prohibitum esse padobaptismus.

Multa quidem sunt, quae piè credit & suscipit Ecclesia Catholica, quae tamen certis syllabis & literis expressis explicitè non ita exstant relata in sacris scripturis: interim istorum omnium sensus facile ex scripturarum consequentia potest erui, exemplum est Virginitas Mariae perpetua. Deinde quae nusquam in sacris literis legitur, quod Apostoli baptizati sint, quamvis nihil sit certius quam eos baptizatos esse, postquam aliis baptismum contulerint, quod non fecissent, nisi baptizati fuissent. Ita virginitatem Mariae ex consequentia scripturarum demonstrat contra Helvidium Hieronymus. Et diximus antea simili modo nusquam legi expresse, quod mulieribus debeat porrigi sacramentum Eucharistiae, tamen propterea non sequitur, quod arceri à communione corporis & sanguinis debeant.

Satis quidem expresse ipsa figura baptismi in veteri Testamento delicta nobis exprimit padobaptismus, postquam Paulus dicat eos omnes in mare baptizatos esse. Nam cum illorum essent ad sex centena millia hominum, absque omni dubio & sine ulla exceptione plurimi inter eos infantes & pueri fuerunt & propediem infanti etiam pendentes ab uberibus matrum inter eos reperiuntur. Cum ergo scriptura illos omnes baptizatos dicat sub nube in mari, illi etiam omnes pueri, infantes & in ulnis gestati ita baptizati sunt, & si hoc sub figura & velamine istis pueris accidit, quanto magis veritate manifesta jam in

novo Testamento nostri pueri baptizari debent, postquam delatum evangelium sit ad omnes gentes, quas etiam sine exceptione, ut Matthæi ultimo capite legitur, baptizare debeant, ideo etiam sub eis quoque ipsarum infantes comprehensi sunt. Deinde ut scripturam dicis saepe tantum virorum facere mentionem, quando tamen non excluduntur fœmina, ita rursus dico eatenus quoque non excludi puerulos, sed eos quasi includi vel subintelligi: Sicut Joannis 6. capite discubuerunt 3000. viri, & tamen ab eis non excluderentur muliercula & pueri, quia sit pueruli (græcè dicitur παιδάριον) mentio in textu, ideo Matthæi 14. dicitur, præter mulieres & pueros, sicut etiam sequenti capite dicitur. Legimus etiam quosdam Patres familias cum suis baptizatos esse, vel cum tota familia, ut actus Apostolici testantur, ubi dicitur quod tota domus baptizata sint, ibi sub Patribus familias, subque ipsa familia, & sub domibus etiam infantes & pueri sunt comprehensi, & credo inde originem habere, quod hodie patroni, quos susceptores vocamus, adhibeantur baptizandis pueris: Postremo scimus hunc morem baptizandi pueros & infantes, jam inde à tempore Apostolorum usque ad nos semper in Ecclesia servatum atque usitatum fuisse & adhuc esse: ideo valde & periculosum, & nostra sententia, impium est dicere, pædobaptismum esse impium quid & anathema. Esset quoque valde mirandum, quod à tot Doctoribus veteris ecclesie per sesqui mille annos, vel etiam ab illustribus nostra ætatis & ævi Theologis, nihil istorum esset observatum: ideo in his periculosis temporibus hoc merito debebat esse suspectum & profanum, quod à tempore Apostolorum usque ad nos nunquam in ecclesia receptum & probatum fuit, sed tanquam novum & inauditum est, ideo merito rejicitur.

Hactenus pro pædobaptismo audivimus differentem Hermannum Buschium coram Senatu Monasteriensi & Tribunitia ibidem potestate.

BUSCHIUS verò, cum altero die prolixam refutationem eorum omnium, quæ pridie dicta erant à Rothmanno, coram Senatu, tardiuscule, & ita, ut possent eam excipere Notarii, recitaret, nec tamen pertexeret, quod ut homo senex sedendo per IV. horas continuo, tum quoque dolore propter obstinatam adversariorum malitiam defatigatus, fessus & lassus cœpisset ægrotare. Ita descendens ex curia verè 72. curis plenus, cum vix faceret pedes suum officium, undique in foro & per plateas, risui erat expositus phanaticis, qui bonum senem miserè vexabant, quasi esset elinguis factus, & tam à Domino punitus. Ita properat exire ex urbe & venit Dulmonem, ubi cum paulò ante ipsum

extinctus esset filius Hieronymus, ipse moratur in arduis conso-
brat sui *Godefridi de Schedelich* satrapæ Dulmonensis. Et sic in initio obi-
tionis Monasteriensis anno Domini 1534. placidè & feliciter in Christo
obdormit, eo morbo, quem sibi Monasterii ex mœrore contraxerat
& altero post eum anno moritur *conjux* ejus *Alheida*.

Hactenus diximus de vita, laboribus, itineribus, cursu vitæ & fine
viri Clarissimi & Nobilis Hermanni Buschii, optimè de studiis eccle-
sia meriti. Nunc dicemus, quæ laborum suorum monumenta in lucem
dederit.

73. Scripta quædam *Conradus Gesnerus* in Bibliotheca, *Lycosthenes* &
Georgius Simlerus referunt. HERMANNI BUSCHII, *commentaria in*
Donatum ex Prisciano, Diomede, Servio, Capro, Agretio, Phoca, Var-
rone, Aldo, Perotto, Nebriffensi, &c. collecta & edita Basileæ per
Thomam Platerum anno Domini 1540. (sicut antea Colonia & Da-
ventriæ & Monasterii erant excusa.)

Decimationes Plautina impressæ Colonia: Epistola *primam Per-*
Satyram explicans, impressa Parisiis apud *W echelum*, & Colonia: apud
Gymnicum. *Ars memorativa* nescitur an sit publicata. *Vallambro-*
nitatis, qui liber est impressus Colonia.

In *Silium Italicum* annotationes excusæ Basileæ apud Thomam
Wolphium. *Commentarii in primum librum Martialis* obscenis car-
minibus rejectis, excusi Colonia. *Hypanticon* versibus Heroicis An-
tistiti Spirensi, Georgio, Palatino Rheno Comiti, super solemnii suo in
Spiram ingressu, dicatum, Cratander Basileæ anno Domini 1520. excu-
debat: Scripsit etiam *epigrammatum libros tres*, ex quibus tertius est Lipsiæ
anno Domini 1504. excusus, (reliquos duos curaverant excudi Daven-
triæ & Monasterii Langius & Hegius anno Domini 1498.) Exstant ejus
Annotationes in Juvenalem. Scripsit quoque *de singulari autoritate veter-*
is ac novi Testamenti. *Sacrorum ecclesiasticorum testimoniorum farrago*
in duos libros divisa & impressa Marpurgi anno Domini 1529. Hacten-
us recensuimus, quæ ibi ex lucubrationibus Buschii existunt & recensu-
seantur: addemus autem & ea, quæ nos vidimus præterea adhuc.

Scripsit elegantissima *commentaria in Claudianum*, impressa Colonia:
Scripsit quoque *carmen lugubre de obitu Joannis Murmellii*, Daventriæ
excusum: Scripsit & *carmen de urbe Coloniensi*, cui titulum fecit, *Florantia*.
Descripsit quoque *urbem Lipsiam* publico carmine, in quod scripsit
Pli-

Philippus Novesianus, Hasfurtinus commentaria, & carmen cum commentariis excusum est Lipsiæ anno Domini 1521. à Martino Herbipolensi. Scripsit gratulatorium carmen de adventu Erasmi Roterodami Coloniam, ibidem excusum. Scripsit *Hecasticha* ad Fredericum Trajectensem Episcopum, urbem Daventriam ingredientem, Daventriæ excusa. Brevia quoque *Scholia in Aneida Vergilianam* scripsit: Item anno Domini 1498. scripsit de triplici *Psalterio Mariae ad Joannem Rincum* carmen doctissimum Coloniae excusum. Selegit quoque *selectiores epistolas Ciceronis in usum scholæ Wesaliensis*: edidit etiam *orationem ad Clerum Coloniensem* valdè doctam & ibidem excusam, quâ omnes Ecclesiasticos hortatur ad lectionem scripturarum. Edidit Lipsiæ anno Domini 1502. *Spicilegium* LIII. illustrium Philosophorum autoritates vel sententias, & epigrammata quædam in laudem D. Virginis: Item *Oestrum in Tilemannum Heverlingium*, Lipsiæ anno Domini 1506. editum. Scripsit etiam *carmina de morte Wilhelmi, Comitis de nova Aquila*, ad filios Hermannum Præpositum, & Wilhelmum, Comitem in Morfa. Item *de Cæsarina* virgine ad Hermannum Gosbachium. Item *gratulatoria carmina ad Hermannum, Comitem Neuwenarium, & Martinum Oedkempensem*, Coloniae excusa.

Scripsit & alia, quæ aliquando mihi visa sunt & tamen modò non occurrunt.

Ut autem hætenus de scriptis Hermannii Buschii egimus, ita quod 74. que docti Grammatici doctum de tribus Hermannis Westphaliæ luminibus carmen subjungemus. Is est *Henricus Sibaus Olphenius*, qui sic scribit de istis:

Tres tulit insignes nobis summeque peritos
 Hermannos nuper Westphala terra viros:
 BUSCHIUS est primus, vir nobilis atque poëta,
 Quem colit Aonius Pieriusque chorus.
 Alter adest docto lepidoque *Tulichius* ore
 Grammaticus doctus, Rhetor & eximius.
 Tertius hinc sequitur vero cognomine *Bonnus*,
 Quod bonus ingenio, quod bonus arte fuit,
 Hic docuit multos sincero pectore Christum,
 Non hic vaniloquus, non Thraaso magnus erat.

Simpliciter plebem docuit sine fraude dolive,
 Quod minimè faciunt, qui sua lucra petunt :
 Jam si quis quærit Patriam, natale solumque
 Hos nasci voluit quo Deus omnifator:
Buschius ad fluvium genitus, quem Vare videbas,
 Sed non Romanis nuncia lata ferens:
 Padera Tulichium nobis dat nobile flumen,
 Ingens qui patrii lausque decusque soli:
 Hæc dedit Bonnum fluvius non magnus, at usu
 Commodus, ut testis accola dives erit.

75. *Bibliothecam* Buschii libris in Italia passim editis splendidissimam
 cum cuperet ejus cognatus vir doctus & nobilis *Rogerus Schmislingus*,
 Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis Decanus, transferri ad usum
 publicum, autorque esset suo capitulo, ut emeretur ab ipsis, scripsit ad
 fratrem Hermanni Buschii, Dn. *Burchardum Buschium*, Cathedralis
 Ecclesiæ Decanum in urbe Minda, verum is in honorem Patriæ, illam
Bibliothecam liberaliter donavit Capitulo Cathedrali
Monasteriensi.

CONCLUSIO

ad

NOBILES FRATRES

Dominum NICOLAUM

ET

Dominum OTTONEM

à Mönlichhausen/

DOMINI SATRAPÆ & CAPITANEI,

LIBORII à Mönlichhausen/

FILIOS.

AUdivistis jam nobiles, eximii & ornatissimi Juvenes, *vitam, 76. genus, ortum, familiam, labores, certamina, doctrinam & mortem* vestri cognati, viri clarissimi & doctissimi atque æquè nobilis Herois, D. HERMANNI BUSCHII, inde ab ipsa ejus pueritia usque ad finem vitæ à nobis recitatum & prolixius declaratum ordine esse. Quantus igitur vir, quàm eruditus, quàm celebris, quàm ingeniosus, quàm facundus, quàm acutus, quàm tersus, quàm purus, & quàm egregiè versatus in omni genere autorum vester cognatus Buschius fuerit, nos quidem balbutiente lingua vel potius calamo, mediocriter explicuimus, & addimus quomodo passim ipse in Germania literas Poliores & linguam Latinam ac Poësin restituerit, ut etiam fuit post *Rodolphum Agricola, Rodolphum Langium & Alexandrum Hegium*, primus & præcipuus cum *Conrado Celte & Joanne Murrnellio* in Germania poëta, & certè multum hinc inde præstitit primò in scholis & deinde in Ecclesiis Buschius.

Buschio certè & multis Westphalis acceptum referat Germania, quod Latina lingua floreat ubique. *Rodolphus Agricola, Frisius*, in terminis Westphaliæ natus, primum fecit initium reformationis Latinæ dictionis. Mox ejus erant socii eodem tempore, *Alexander Hegius*, West-

Westphalus, Daventriae *Rodolphus Langius*, Monasterii in media Westphalia, *Antonius Liber, Susatensis*, Amstelrodami & Alcmariae, Item in superiori Germania *Ludovicus Dringeburgius*, Westphalus, cum Rodolpho fortiter incepit. Post illos *Erasmus Roterodamus*, Hegii & Antonii Liberi Westphalorum discipulus, *Buschius*, & *Timannus Camenerus* Westphali, & *Joannes Murellinus*, qui per omnem vitam non tantum profecit & scripsit in literis politioribus quam in media Westphalia Monasterii. *Jacobus Wimpelingius*, Dringenbergii discipulus, cum multis condiscipulis praestitit in superiori Germania idem. Deinde in inferiori Germania *Conradus Goclenius* & *Gerhardus Lifsrius*, uterque Westphalus & Westphalorum discipuli, *Alardus Amstelrodamus* & *Hermannus Torrentinus*: In Misnia post illos *Joannes Rivius*, & in superiori Saxonia *Otto Beckmannus* & *Hermannus Tulichius* tres simul Westphali, qui ibi erant reformatores linguae Latinae, & interim praeterea es omnes, quorum honorifica est facta mentio in hac tota oratione. Ideo certè Germania fateatur se Westphalis multum debere & imprimis vestro cognato & vestrae maternae familiae unico splendore HERMANNO BUSCHIO gratias agat, deinde merito ipsi gratiam habebit purior Ecclesia, quod ex fontibus Israel veritatem contra phanaticos fortiter defenderit.

Cum igitur vivat jam in caelis sine omni dubio, ita quoque volui ut viveret in scholis & ecclesia adhuc nomen Buschii, ut posteritas eum celebraret & veneretur & pro praestita opera illi gratias ageret. Ut est igitur Buschius honor & decus toti Westphaliae, ita quoque suo generi & vestrae H. quae ex ejus stemmate nobili & veteri originem ducit, multum laudis adfert. Saltem hoc unum vobis restat, ut ejus exemplar ad imitationem vobis proponatis, unde salutem in caelo, & laudem apud literatos atque in ecclesia reportabitis.

D I X I.